Candida ſimplicitas, & morum pulchra venuſtas
Ornatu reliquo pulchra ſuere magis.
Arce Torentana moritur, Miſnaq́ quieſcit,
Quæ Matronarum ſplendida gemma fuit.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

Septimus ex Adavis ALBERTUS *Miſnius heros*
Kauffungo fuerat raptus ab hoſte puer.
Inde peragravit (ſic tum mos ille ferebat)
Salvator CHRISTUS *quam pede preßit humum.*
Huncq́ ſuæ Cæſar ſociavit Avunculus aulæ
Huic par invicto robore nullus erat.
Militiæ teneris eſt caſtra ſecutus ab annis,
Alter ut Æacides, alter ut Hector erat.
Pannonios domuit populos, Gallosq́ feroces,
Disjecit forti Belgica caſtra manu.
Ipſius attonitæ fugerunt arma cohortes,
Territa montanos ut fugit agna lupos.
Jam decus Imperij traxiſſet penè ruinam,
Si non ALBERTI *dextra tuliſſet opem.*
Imperij dextram dixerunt Auſones illum,
Non tulit huic magno pectore Roma parem.
Nomen ei fortis conceßit Belga Rolandi
Quem domitum terra, quem ſuperavit aqua.
Huic Regis Genero ſceptrum voluere Boëmi
Tradere poſt ſoceri fata ſuprema ſenis.
Maluit ille tamen patrias defendere terras
Et muris urbes ædificare novis.
Hic Annæbergam Sudetis ſtruxit in oris,
Vulcanus nuper cui mala damna dedit.
Poſt iterum Friſios dum forti Marte rebelles
Subdidit, Emdana clauſit in urbe diem.